

Magburg
1884



16
1.
2.
3.
4 a
5 a
6.
10
1.
2 a
3.



F. 7. num. 18.

A. F. P.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

CAVALCA
TÆ VASALLATI
CÆ ÆSTIMATIONE,

1680, 2.

1680

Vom

Anschlag der Lebens-
Ritter-Diensten.

QUAM

EX DECRETO ET AUCTORITATE
*Magnificæ ac Nobilissimæ Facul-
tatis Juridicæ in Illustri Argentoratensi
Academia*

PRO LICENTIA,

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia
DOCTORALIA legitimè consequendi,

Solenni Eruditorum disquisitioni subicit

JOHANN - HERMANN MEIER,
Heidelbergâ - Palatinus.

Die 27. May. M. DC. LXXX. horis locoq. solitis.



ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

D.

on

er.

so



SECRETUM IN ACADEMIA

CAVAVATA

ITALIA

ROMA

EX LIBRIS

UNIVERSITATIS

SACRAE

ROMANA

LIBRARI

IN

CAVAVATA

ITALIA

ROMA

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG

25





I. N. D. N. F. C.



Uperatis, DEO propitio, septi-
manis superioribus statutariis exami-
nibus Doctoralibus, cum secundum
hujus Academiae celeberrimae statu-
ta mihi nunc insuper inauguralis
solenniter & publicè proponenda
vel habenda sit Disputatio: de quodam argumento
sollicitus, memor, naturam semper ad novas for-
mas edendas pronam esse ac properare, *l. 2. §. 18. C.
de J. V. E.* Verum pleraque non esse primum à no-
bis dicta, sed ab antiquâ descendere profapiâ *d. l. Ap-
puli* igitur animum ad materiam jure feudali, ut fre-
quentem, ita non semel in diversas partes hocce bel-
lo agitatam; de justitiâ æstimandi inque certam pe-
cuniæ quantitatem mutandi servitia vasallatica.
Cujus dignitas & utilitas cum sese satis superq; osten-
dat, meâ amplius non eget commendatione, *ut
in simili loquitur Jctus Ulpianus l. 1. ff. de rest. in integ.*
Priusquam vero ipsius rei tractationem aggrediar,
paucis verborum explicationem præmittam, cum
in omni arte, omnique disciplinâ de vocum ac
phrasium declaratione prima sit disputatio, *Joh.
Gædd. in rubr. in pr. ad tit. de V. S.*

A 2

THESIS

THESIS I.

ET ut de voce æstimationis prius verba faciam : Æstimationis vocabulum à verbo æstimare (Germanicè *Schätzen / biten / halten / anschlagen.*) derivari nemo ignorat, unde verò *æstimandi* verbum deductum, an partim latinum partim græcum ex ære & *τιμᾶν* compositum, an vero origine suâ purè græcum sit, ab *ἐντιμᾶν* vel *ἐκτιμᾶν* dictum? inquit *Gerh. Joh. Voss. Etymolog. ling. lat. in voc. æstimo.*

II.

Distinguitur autem (I.) ratione personæ æstimantis (1.) in arbitrariam seu factam ab arbitratore, *per §. 1. Inst. de emt. vend. l. fin. C. de contr. emt.* (2.) relatam ad legem vel morem cujusdam regionis, *dem gemeinen Rauff vnd Anschlag nach / arg. l. 63. ff. ad L. falci. l. 3. ff. de eo quod cert. loc. §. 34. Inst. de act. l. 2. pr. & 3. in fin. C. ut nem. lic. in emt. spec. se excus.* (3.) Judicalem seu factam à magistratu vel iudice, *l. vinum 22. ff. de reb. cred. & passim sub tit. de condict. tritic. & de eo quod cert. loc.* (4.) Conventioalem seu ex conventionem partium proficiscentem. *per tot. tit. de æstimat. act. l. 5. §. 3. ff. commod.* (II.) Ratione modi, (1.) in æstimationem facti, h. e. quamvis determinationem sive æquam sive iniquam, *ut l. 1. l. 4. §. 2. ff. de in lit. jur. l. 68. ff. de R. V. & juris seu eam, quæ convenit juri & æquitati, d. l. 22. ff. de reb. cred. junct. d. l. 4. §. 2. ff. in lit. jur. l. 76. & seqq. ff. pro socio.* (2.) in æstimationem nudæ taxationis *l. 18. l. 69. §. 7. ff. de jur. dot. l. 52. §. 3. ff. pro soc. l. 34. ff. famil. hercis. l. ult. pr. ff. de pact. dot. l. 21. C. de jur. dot. l. 50. l. 66. §. 3. ff. solut. matr. & venditionis l. 1. §. 9. l. 10. §. 4. 5. l. 16. ff. de jur. dot. l. 50. ff. solut. matr. d. l. 69. §. 7. ff. de jur. dot. C. 7. A. th. 8. de jur. dot. Dn. Struv. S. 7. C. Ex. 30. th. 52.* (3.) In arithmeticam & geometricam. *Johan. Gædd. ad. l. 131. de V. S. num. 13. & seqq. Dn. Struv. S. 7. C. Ex. 1. th. 31. & seqq.* (4.) In æstimationem quantitatis & qualitatis, quo pertinet æstimatio secundum modum fructuum, *in l. 13. ff. de reb. eor. qui sub. tut. l. 16. C. de rescind. vend.* quem servat Matricula imperii, quippe quâ Status imperii

perii juxta proportionem prædiorum & reddituum Cæsareo fisco pensitantes descripti leguntur : *Limna. lib. 4. §. P. cap. 7. n. 61. & seqq. Wehner. obs. pract. voce Matricul. Besold. voce Herren-güldr. (III.)* Ratione objecti, pro varietate objectorum variè, alia enim est delictorum, alia contractuum, alia pœnarum, alia præmiorum, alia devalvatæ monetæ, alia onerum &c. de æstimatione delictorum, pœnarum, præmiorum & contractuum. *vid. D. Struv. d. Ex. 1. thes. 24. & seqq. d. th. 31. & seqq.* Æstimationis onerum species est æstimatio servitiorum vasallaticorum, de quâ titulus noster conceptus.

III.

Quod nobis est ac denotat, vernacula nostra *die Lehen. Ritter. Dienst* / id aliis in locis vocari *HOSTEM*, item *CAVALCATAM* *Carolus du Fresne in suo glossario ad scriptores media & infima latinitatis testis est.* Ubi harum vocum & convenientiam & differentiam prolixè demonstrat, *item Speidel. in Specul. voce die Lehen. Dienste. in Addit. circ. fin.* *Hostem* dico; dupliciter enim usurpatur vox *hostis*, vel in genere masculino, ut communiter pro eo, qui nobis, vel cui nos publicè bellum decernimus, *l. 24. ff. de capt. & postl. rev. add. l. 5. §. 2. eod.* vel in genere feminino, pro servitio militari, quod debent vasalli dominis suis feudalibus cum Rege in *hostem* pergentibus, *h. e. pro hostentitiis, 2. f. 40.* & in hac posteriori significatione hic sumitur. *CAVALCATA* autem nomen barbarum Italicæ Originis, Latinè denotat *EQVITATVM*; latiùs *EXPEDITIONEM*: *Abbas in cap. non minus. 4. num. 20. vers. item & secundo. X. de immun. Eccles. EXERCITVM* *Abbas d. l. num. 15. vers. Adverte: Bartol. ad. l. 21. C. de agr. & cens. num. 2.* *HOSTEM* *Carol. du Fresne & Speidel. d. l.* Vocabulo *Cavalcata* in latiori significatu sumto veniunt omnia servitia feudi jure debita tam personalia, quam realia: tum ea, quæ extra bellum, tum quæ in bello præstantur. *Jacobin. de S. Georg. de Feudis. §. Et promiserunt eidem domino suo prestare debita servitia, num. 16. in fin.* unde definitur ab *Anton. Borin. in suo tract. de Cavalc. part. 1. cap. 1.* quod sit adiutorium, quod vasallus debet ac præstat ratione feudi. Unde constat tum de tituli nostri significatione, tum de ratione ejus, quod

tionis
iten /
man-
ex ære
it, ab
nolog.

(1.) in
vend.
cujus-
arg. l.
2. pr.
cialem
red. &
Con-
er tot.
di, (1.)
quam
& ju-
cred.
n asti-
§. 3. ff.
de jur.
§. 4. 5.
A. th.
eticam
& seqq.
ionem
a mo-
dere-
us im-
perii



nempè à potiori functionis vasallaticæ munere, quod in equis ac equestri militari apparatu plurimum pro vasallorum qualitate consistit, denominatio facta sit. Sic *Andr. de Ifern. 2. f. 26. §. si quis deceaserit. n. 3.*

IV.

Servitia (quæ Germ. vocantur *Lehen-Dienste.*) jure feudi deberi ac præstari, non uno in loco in nostris feudorum libris repetitum legimus. *2. f. 23. in fin. §. 55. §. firmiter.* hæc enim sunt media, quibus tam belli, quam pacis tempore consilio atque auxilio domini vita, corpus, honosque defenditur, territorii jura ac bona conservantur, augenturque: quamvis in bello vasallatica servitia præstanda veniant, (unde vocari solent *Ritter-Dienste.*) *1. f. 5. 2. f. 21. 26. 28. & non nisi ei, qui militare potest, feudum tribuatur. 2. f. 36. 21. 34. §. similiter.* & ita vasalli passim in consuetudinibus feudorum milites appellantur.

V.

Statim igitur à die concessionis feudi sive investituræ cedit obligatio præstandorum servitiorum in tantum, ut licet nulla in literis investituræ servitiorum mentio sit facta, nihilominus tamen vasallus iis sit obnoxius. *2. f. 26. §. licet. 28. §. ad hoc. 54. §. 55. §. firmiter &c.* qui textus quum generaliter disponant, vasallum servitiis præstandis obstrictum, nec distinguant, facta fuerit in concessione mentio servitiorum nec ne, generaliter & in distinctè intelligi debent, *arg. l. 1. §. 1. ff. de legat. præst.* tum etiam, quia præstatio servitiorum est de naturâ contractus feudalis, *2. f. 6. §. sed quia 2. f. 23.* adeoque tacitè inest, si nihil de eâ sit exceptum. *arg. l. pacta conventa 72. ibiq. Dd. de contr. emt.* Talis enim præsumitur voluntas disponentium, qualis est natura rei, *argum. l. 11. §. 1. ff. de act. emt. l. 3. ff. de reb. cred. l. 31. §. 20. ff. de edil. edict. l. 17. §. 1. ff. de aqu. §. aqu. plu. arc. l. 6. C. de evict. ita comm. Dd. vid. Rosenth. cap. 8. conclus. 4. §. ab eo alleg.* Licet ad realem, actualemque servitiorum præstationem regulariter non teneatur vasallus, nisi à domino feudi eo nomine fuerit requisitus. *2. f. 7. §. 8. de quo latius Kohl tot part. 7. Rosenth. cap. 8. conclus. 26.*

VI. Potest

VI.

Potest autem dominus stipulari obsequia ad certam personarum, rerum, loci, temporis ac officiorum quantitatem & conditionem restricta. 2. f. 51. §. ult. & 2. f. 2. §. ult. & 18. exempla obvia sunt apud Frid. à Sand. comm. in Geldr. consuet. feud. tr. 2. tit. 1. cap. 2. num. 14. 15. Et ut plurimum feuda hodie sunt pactionata respectu servitiorum juxta cujusque regionis consuetudinem, secundum quam pacta & conventiones interpretationem recipiunt, arg. l. 13. §. 1. ff. comm. prad. l. 3. §. 4. ff. quod vi. aut clam. l. 1. C. qua sit long. consue. Jacobin. de S. Georg. d. l. in §. & promiserunt & c. num. 28. Heigius part. 1. quest. 18. num. 12. 14. ultra quæ pacta in literis investituræ comprehensa vasallus regulariter non tenetur. arg. l. 1. ff. de pecun. consti. l. fin. C. de pact. convent. Jacob. de S. Georg. d. l.

VII.

Obsequia tamen aliàs indeterminata vasalli debent, secundum communem feudi naturam, 2. f. 23. talia scil. quæ dominus moderatè imperaturus est, pro more curiæ feudalis vel regionis, d. cap. 25. argum. l. 30. ff. de oper. libert. l. 5. C. de dol. mal. quæque commodè ac honestè habitâ ætatis, dignitatis, valetudinis, ac necessitatis ratione præstari possunt. Et hanc moderationem determinationemque demum recipiunt ex indigentia Domini, ut vasallus Domino servire teneatur, quando & quatenus necesse erit, arg. l. f. 21. ibi: nisi necesse fuerit Domino.

VIII.

Ac proinde non inconcinne, respectu diversorum casuum, quibus Dominus servitiis vasallorum indiget, servitia talia distinguuntur, quod alia sint vel honoraria, ut videlicet, domino requirenti, vasalli honoris causa adsint. 2. f. 54. vel judiciaria, ut ad curiam Domini vocati, cum cæteris judicaturi compareant, 2. f. 16. 39. §. si inter. vel militaria, ut ad expeditionem Domino vocanti præsto sint, 2. f. 28. & 55. §. firmiter. aut certè militaris istius servitii redemptionem præstent, in stipendia militum propterea conscriptorum, idque juxta quantitatem annui proventus, 2. f. 54. ibi aut pro quantitate feudi stipendia militia persolvendo, & Frid. à Sand. comm. in Geldr. consuet. feud. tr. 2. tit. 1. cap. 2.

num.

uis ac
litate
§. si

feudi
repe-
me-
xilio
c bo-
servi-
1. f.
dum
con-

cedit
lla in
amen
§ 55.
illum
rit in
inctè
quia
6. §.

otum.
enim
gum.
adil.
t. ita
Licet
r non
t re-
b. cap.

Potest



num. 13. & Struv. S. I. F. ex eo cap. 11. aphor. 7. Quæ redemptio ac contributio pro varietate temporum ac regionum varia est, Olim taxatione factâ à Contado Imp. in terrâ Teutonicâ trientem fructuum ejus anni, quo hostem faciunt; in Lombardiâ de modio proventus, duodecim denarios pendere tenebantur vassalli. 2. f. 40. §. *similiter*: post modum ex æquitate, quæ paria jura in causis paribus desiderat, 2. f. 54. *vers. ut autem*, à Friderico I. constitutum tam in Italiâ, quam Alemaniâ, ut quicumque publicâ expeditione indictâ Romam ad suspiciendam imperii coronam Regem, aut sub Rege Dominum suum non adjuverit, eundo cum ipso, pro quantitate feudi stipendia militiæ persolveret. d. c. 54. *vers. firmiter statuimus*. Denique ab eodem sancitum tam in Italiâ, quam Alemaniâ, ut quicumque, in dictâ expeditione publicâ venire non potuerit, vel alium pro se Domino acceptabilem non miserit, dimidium redditus feudi unius anni Domino subministrare teneretur, 2. f. 55. §. *firmiter etiam*.

IX.

Nititur autem hæc Friderici aliorumque servitorum feudali-um æstimatio justissimis fundamentis. Naturâ enim ita comparatum & apud omnes gentes per æquè receptum humanitatis officium est, ut beneficium gratâ memoriq̃ue mente recolamus & beneficio reciproco compensemus. *arg. l. 7 ff. de serv. expor.* Hæc antidotalis illa obligatio, quâ ei, cujus ex patrimonio locupletiores facti sumus, ad remunerandum veluti tacito naturæ pacto ac lege impellimur. *arg. 25. §. 11. ff. de heret. petit.* Cum verò inter omnes constet, ipsam feudi concessionem esse beneficium ex merâ concedentis liberalitate proficiscens, 2. f. 23. Ideoque jure meritoq̃ue constitutum est, ut servitia à vasallo in recognitionem memoriamque beneficii accepti exigantur, isque Domino iis opus habenti fideliter serviat, 2. f. 18 l. 24. *ff. de oper. libert.* non quidem ultrò & spontè *per. text. 2. f. 26. §. licet. 37. §. non cogitur*, sed ad id sive generaliter per literas patentes, uti vocant, sive specialiter requisitus, d. §. *licet. & §. non cogitur. & 2. f. 7. 28. §. ad hoc. 54. 55. §. firmiter etiam* quæ interpellatio in obsequiis personalibus & officialibus regulariter est necessaria, ut ex textibus jam citat: satis superque colligere licet. Nec immeritò; quum
fit

fit in potestate & arbitrio Domini, velit uti servitio nec ne: quod Vasallus scire non potest, nisi ei denunciatum fuerit. *Non obstante textu l. f. 21. verb. nisi necesse est.* qui ex aliis textibus interpellationem desiderantibus erit supplendus; *docente Wesenbec. de feud. c. 9. num. 12. Rosenth. c. 8. concl. 26. num. 5. Kohl. part. 7. num. 3. 4. 5. ibique alleg.*

X.

Contrarium obtinet in obsequiis reverentiam, fidem, taciturnitatem requirentibus. Illa enim ex obligatione antidorali profecta, naturalia ac perpetua sunt, adeoque semper & sine ullâ requisitione expressâ, velut tacitè requisita, debentur: Hocque probatur ultra dictam rationem à *Wesenb. & Rosenth. jam l. c. assignatam, etiam exindè, quia quoad hæc servitia nulla in juramento fidelitatis fieri solet mentio requisitionis in textibus juris feudalis, quibus interpellatio desideratur, sed semper ea refertur vel ad auxilium, 2. f. 7. 54. verb. non autem. 55. §. firmiter. vel ad consilium 2. f. 7. vel ad servitium cujus significatione propriâ hæc minime continentur, §. licet, 2. f. 26. §. 28. §. ad hoc.*

XI.

Et hæc quidem, quæ de obligatione determinantum indeterminatorumque servitiorum diximus, quoad quæstionem *an* expedita videntur: utrius verò in præstandâ hæc vel illâ servitiorum specie sit electio, an Domini, an verò vasalli? præcipuè, utrum Dominus vasalli ope auxilioque indigens, loco servitiorum personalium ab eodem certam pecuniæ quantitatem exigere possit? anxie quærunt interpretes.

XII.

Et primâ quidem fronte videtur dicendum; quòd non: (I.) Quia verba investituræ dirigi solent ad vasallum, quòd vel servire, vel feudi redditus vel pecuniam subministrare debeat, 2. f. 54. 55. §. firmiter etiam. quoties verò verba in alternatis ad debitorem diriguntur, juris est indubitati, penes eum esse electionem, *arg. l. 10. §. ult. ff. de jur. dot. §. 33. Instit. de act. verb. hic autem. l. 5. ff. de condit. instit. l. 6. §. 1. ff. de jur. patron. l. 39. pr. ff. de solut. l. 34. §. pen. ff. de contr. emt. c. in alternatis. 70 de reg. jur. in 6to. eò usque, ut licet magis è re atque utilitate cre-*

B

ditoris

ditoris sit, v. g. decem solvi, quàm hominem; tamen præstando alterutrum debitor liberetur. *per d. §. 33. Inst. de act. ut & pr. quib. mod. toll. oblig. & sic crebriori suffragio concludunt Dd. Rosenh. cap. 8. conclus. 23. n. 9. 10. Kohl. de servit. feud. part. 6. n. 36. & seqq. Carpzov. lib. 1. Resp. 52. (II.)* De lege scriptâ communi (ad quem toties recurrendum, quoties consuetudine feudi casus comprehensus non est 2. f. 1.) constitutum, ut, quod in obligationem faciendi deductum, (qualis est præstatio servitorum, 1. f. 21. 2. f. 40. *vers. similiter. 54. vers. ut autem & 55. §. firmiter eiam,* qui textus omnes vasallum disertè ad servitium obligant, à quo pecuniæ solutio quàm longissimè discrepat) si non fiat, quod promissum est, in pecuniam demum reus condemnetur. *arg. l. 13. §. 1. ff. de re jud. l. 113. & 114. ff. de V. O. (III.)* Duriùs solvitur pecunia, quàm personale servitium præstatur. *Andr. de Iser. ad tit. de prob. feud. alien. per Frid. 2. f. 55. n. 32. & arg. l. 23. §. 1. ff. de oper. libert. (IV.)* ut invito creditori aliud pro alio solvere non licet, *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 22. ff. de solut. ita è diversò debitor urgeri nequit, ut aliud pro alio solvat. (V.)* Deniq; qui electionem debitori eripit, causâ plus petere intelligitur, *§. 34. Inst. de act. ne dicam (VI.)* quod æstimationis ejusmodi exactio collectarum naturam sapere videatur; ad quas vasallum, quâ talem, non teneri, certum est. *Anton. Borin. tract. de Cavalc. part. 3. cap. 6. pr. ibiq; alleg.*

XIII.

Re tamen altiùs perpensâ, ut contrariam sententiam eligerem motus sum sequentibus argumentis. Siquidem extra omnem controversiam positum esse existimo, Vasallos veros atque de feudo verè & propriè ita dicto, non franco (de quo nobis jam sermo non est,) investitos, virtute vinculi vasallitici ad exhibendam Domino reverentiam & promovendam ejus incolumitatem atque commodum, avertendumque, quod Domino imminet, damnum, obligatos esse 2. f. 23. *vers. quomodo & seqq. Dn. Struv. S. I. F. cap. 11. aphor. 3. num. 1. add. Thes. anteced.* Commodum verò Domini promovent, & damnum ejusdem avertunt ita se gerendo, ne vel omittendo vel committendo obsint (1.) vitæ & corporis incolumitati ac securitati, (2.) bonorum tutæ, facili & possibili conservacioni aut acquisitioni, vel

vel qualicunque utilitati ac honori Domini, 2. f. 2. §. 6. 7. *Andr. Kohl. de servit. feud. l. 4. num. 1. & seqq. Dn. Struv. d. aphor. num. 9.*

XIV.

Sicuti autem vasallus ad inserviendum personæ & commodis Domini est obligatus, ita absurdum esset, si modus serviendi in arbitrio vasalli & potestate esset positus, & servire is eâ ratione posset, quâ Domino potius gravia, quàm utilia existent ipsius servitia. Unde Vasallus regulariter ipse & in propriâ personâ servitia Domino præstare debet, nec serviendo per substitutum liberatur, 2. f. 23. in fin. 2. f. 55. §. firmiter. junct. 2. f. 26. §. si quis decesserit in fine. & 2. f. 36. 26. §. clericus. *Andr. Kohl. d. tr. part. 1. num. 159. & seqq.* Ipse verò Dominus dispensare & licentiam serviendi per substitutum concedere potest. *Dn. Struv. S. J. F. d. c. 11. aphor. 6. n. 1.*

XV.

Cui consequens est, si quacunque ex causâ Dominus ipsius vasalli copiam habere non possit, vel illius copiam habere Domini non intersit; ut exacto à vasallo stipendio, sive de substituto sive aliunde de servitiis militaribus sibi prospiciat. Est enim tempore locove regulariter non determinatum; quid pro feudo sive ratione feudi Vasallus Domino præstare debeat; sed ad indigentiam sive necessitatem Domini refertur; indeque determinationem demum recipit. *c. Sancimus verb. nisi necesse. de feud. sine culp. non amitt. 2. f. 21. 2. f. 7. 2. f. 28. §. ad hoc. Andr. Kohl. d. tr. part. 6. n. 43.*

XVI.

Quemadmodum igitur, si vasallus quidem servire velit, nec tamen est ad serviendum idoneus; certe Dominus admittere non tenetur servitium, cum sibi sit inutile futurum, & inutile pro nullo habetur. Quâ item ratione vasallus, si impeditus substitutum Dominus acceptabilem habere nequeat; loco servitii per se vel per alium exhibendi pecuniam præstare poterit; quantâ scilicet alius idoneus conducitur possit, qui servitium à vasallo debitum loco ejus Domino exhibeat; sic vasalli, teste *Anton. Borin. qui in tract. de Cavalc. part. 3. c. 2. pr.* pro quolibet mense decem aureos

pro proprio servitio personali tūm temporis exsoluebant ; quia
tanti sumptuum militarium ratio esse noscebatur.

XVII.

Eadem ratione , ubi publica provinciæ , in quâ feuda vasal-
li habent , utilitas suadet , pecuniam pro servitiis militaribus sol-
vi , quum fortè vasalli sunt in bello minus exercitati , ac Domi-
ni pecuniâ milites exercitatos conducere possunt ; non erit ambi-
gendum , eos solvere debere pecuniam , nec penes vasallos esse electi-
onem . Nam multa in utilitatis publicæ favorem contra rationem
juris sunt recepta . *l. 51. §. 2. in fin. ff. ad Leg. Aquil. Kobl. d. tract.*
part. 6. n. 54. §. 43. cum Dd. magno numero alleg.

XVIII.

Immò tanta Vasalli erga Dominum obligatio est , ut licet
certus servitorum præstandorum modus in investiturâ sit præfi-
nitus , tamen ubi magnum Domino periculum imminet , cui
propulsando Dominus , fortè paucos vasallos habens , vel ad-
jutores , tam citò convocare non valens , impar viribus est futu-
rus ; illo casu vasallus pluribus , quàm alioquin tenetur equis &
hominibus celeriter congregatis succurrere , & majus , quàm
fuit investiturâ designatum , ferre auxilium , adeoque rotis viri-
bus Dominum in extremo periculo constitutum adjuvare de-
bet . Quia licet alioquin determinatio sive dispositio jure feu-
dorum , vel pacto introducta sit servanda ; necessitas tamen è
magnitudine imminentis periculi resultans , non habet legem ,
c. quanto. 4. X. de consuetud. c. quod non est. 4. de reg. jur. in 6. c.
consilium 2. in fin. de observat. junior. sed legi sive conventioni
simpliciter factæ præponderat. l. 8. C. §. ibi. Bald. de testam. l. 11.
§. 1. §. 2. ff. de mun. §. honor. Borin. de Cavalc. part. 3. c. 6. Andr.
Kobl. d. tr. part. 4. n. 98.

XIX.

Quæ etiam causa est , cur vasallus , licet ut vasallus regula-
riter ad alias contributiones non sit obligatus , ad eas tamen ;
quæ aliquando in locum consuetorum servitorum succedunt , te-
neatur , usque adeo , ut ne ipsi quidem Clerici aliique privilegia-
ti excusationem habeant . *arg. l. 11. C. de sacrosanct. Eccles. l. 12. C.*
de excus. mun. Anton. Borin. d. tr. part. 3. c. 6. Jacob. de S. Ge-
org.

org. tract. de homog. num. 36. Heig. part. 2. quest. 18. Rosenth. c. 5. concl. 87. Klock. de contrib. cap. 14. sect. 2. Carpz. lib. 4. Resp. 70. D. Struv. S. I. F. d. c. 11. aphor. 5. n. 16.

XX.

Qui Doctores non tantum de casu necessitatis, sed etiam de consuetudine loci, & quidem non solum de æstimatione servitorum, sed imò de collectarum præstatione loquuntur. Nec desunt exempla, de quibus vide *Iferniam ad d. §. similiter. num. 14.* & de *Afflict. decis. 320. n. 9. qui, simpliciter Curiam Regis in regno Sicilia solere à feudatariis pecuniam pro servitio exigere, ait*, quem refert & sequitur *Anton. Borin. d. tr. de Cavalc. part. 3. c. 3.* in casu utilitatis publicæ & necessitatis ibique plures allegans autores. Et juxta hanc sententiam in hâc celeberrimâ Facultate juridicâ, in nuperrimo bello inter Dominum & Vasallum hâc de causâ contentione subortâ pronuntiatum fuisse, per tempus privatim habitis ex ore Doctoris, quo familiariter usus sum, non semel audivi, novumque non esse, Vasallos aliquando militaris servitii redemptionem præstare in stipendia militum conscriptorum pro quantitate annui proventus. *jam supra thes. 8. dissert. nostra ex Frederico à Sand. adductum.*

XXI.

Quæ uti pro justitiâ æstimationis exigendæ in genere verè dicuntur, at tamen primùm omnium, inter servitia determinata & indeterminata, distinguendum videtur. Quod enim aliàs verum est, pacta legem dare contractibus, idem de casu servitorum determinatorum eò magis asserendum est *sup. thes. 6.* quò magis in judicio feudali tenor investituræ aliis argumentis præjudicat. In servitiis igitur determinatis æstimationi servitorum personalium regulariter locum non esse existimo, exceptionem, uti in thesibus anteced. jam demonstratum, in casu necessitatis & utilitatis publicæ constituo. *confer Rosenth. cap. 8. conclus. 23. in not. lit. q. fason. l. 8. ff. de leg. 1. num. 16. Jacob. de S. Georgio tract. de homag. num. 31. Andr. Kobl. d. tract. p. 6. n. 43. § 53. Klock. de contrib. cap. 2. num. 64.*

B

XXII.

quia

vasal-
us sol-
Domi-
ambi-
lecti-
tionem
d. tract.

ut licet
t præfi-
et, cui
vel ad-
st futu-
equis &
, quàm
otis viri-
vare de-
ure feu-
tamen è
legem,
c. in 6. c.
ventioni
am. l. 11.
6. Andr.

us regula-
tamen;
dunt, te-
privilegia-
f. l. 12. C.
de S. Ge-
org.



XXII.

Quod servitia indeterminata concernit, sententiam eorum qui electionem Domino non vasallo tribuunt eò libentius sequor, quò æquiores eam omnes circumstantiæ reddunt. Sive enim personam benefactoris cum fide clientis; sive utilitatem Vasalli cum indigentia Domini compares: sive genus conventionis incerti respicias. Dico electionem Domini æquam reddere omnes circumstantias: hic enim ab omni malitiæ casu abstraho, terminosque exactionis tales suppono, quales descripsit Guntherus in Ligurino: *cit. Klock. d. l.*

*Publica militia vasallus munera justa
Non renuat, dominique libens in castra vocatus
Aut eat, aut alium pro se submittat iturum
Arbitrio Domini, vel quem laudaverit ille
Compense redimatque sua mercede laborem.*

XXIII.

Dico personam benefactoris, cuius persona ut à cliente sancta semper haberi debet, ita in odium illius interpretari beneficium, sub lege præstandorum servitorum concessum, iniquissimum & ab omnibus humanitatis liberalitatisque regulis alienum foret, *sup. thes. 9.* si spei atque intentionis effectus, gratitudo sc. & recognitio beneficii, ab arbitrio & electione Vasalli penderet. Dico fidem clientis; quam necessario vacillare oportet, dum ad personam & bona Domini ad minimum secundum posse suum defendenda se obligavit, nec tamen fidem præstat, dum ei, quem instar conjugis vel amici, immò patroni diligere ac revereri debet, leges conjugis & amicitiae ac obsequiorum violat.

XXIV.

Dico utilitatem vasalli; quæ uti omnium obligationum cum conventionem conjunctarum mater & causa est. *tot. tit. ff. de præscr. verb. l. 7. §. 2. ff. de pact. Add. Franzk. ad d. tit. de P. V.* Ita Vasalli servitia tantò ampliora provocat; quò majori pondere indigentiam Domini plerumq; superare solet. Dico indigentiam Domini, cui, cum unicus eà ex parte Domini concedentis beneficium & accipientis scopus sit, plus quàm contrarium esset,

set, si vafallus Domino id, quo non indigeret, obtrudere, quo opus autem haberet, arbitrio suo præjudicare posset. Si itaque vafallo electio concederetur; Dominus sæpissimè id habiturus esset, quo non haberet opus, cariturus autem eo, quod ipsi necessarium esset. *confer Andr. Kohl. d. tr. p. 6. num. 44. Klock. de contrib. cap. 1. nu. 296. Ritter. part. feudal. l. 2. cap. 1. num. 32.* quod intuitu utilitatis à vafallo perceptæ nemini non iniquum videtur. 2. f. 22. verb. nisi necesse. 2. f. 7. § 28. §. ad hoc. &c. Denique in dubio jura nostra plus favent ei, qui in damno rei suæ amittendæ constitutus est, quàm ei, qui cum alienâ jacturâ locupletaretur, *arg. l. 7. § 8. ff. de jur. & fact. igno. l. 38. ff. de hered. petit. &c.*

XXV.

Nec movent, quæ pro contrariâ sententiâ adducta sunt. NON (1.) enim, sive textus 2. f. 45. § 55. §. firmiter. de speciali casu, in quem figura verborum concepti sunt, puta de expeditione Imperatoris Romanâ tantum accipiantur, *vid. Andr. Kohl. de serv. feudal. part. 1. n. 1. 64. & seqq. & part. 6. num. 46.* sive ad quamcunque indigentiam Domini referantur, tantum abest, ut de electione vafalli liberâ & absolutâ intelligi debeant, ut potius contrarium inde eliciatur, siquidem ibi electio quidem vafallo conceditur, sed salvâ acceptabilitate Domini, *d. §. firmiter ibi acceptabilem*, tum in genere æquitate *d. 2. f. 54. ibi: æquitas quæ in paribus causis, paria jura desiderat*, quod si fiat, nemo facile repugnabit. Hoc autem non fiet, si electio Vafalli Domino non expediret, quod supponitur.

XXVI.

(2.) Nimis confidenter sentit is, qui supponit, tum in omni feudo Vafallum ad servitia alternativè obligatum esse: tum in omni obligatione alternativâ electionem penes debitorem esse. Nam quod prius attinet, servitia vafallatica, ut suprâ diximus, vel definita vel indefinita sunt. Definita in simplicia & alternativa rectè distinguuntur. Indefinita contra, quia definitis opponuntur, in alternativa distingui non possunt, nisi termino alternativi abutaris, & generaliter accipias. Nam alternativè obligatus propriè non ad genus, sed ad species certas obligatus est. Unde fit, ut ser-

vitia.

vitia definita & horum species alternativa, nisi materia subjecta aliud suadeat, quia certa sunt sint stricti juris: Indefinita è diverso, quia incerta sunt, omnia sint arbitraria atque ita secundum æquum & bonum explicanda. Hoc enim & aliàs in obligationibus incerti & arbitrariis juris est; Quod Vasallus in feudo servitiorum indeterminatorum neque ipse alternativè obligatus est, neque Dominum jure stricto affectum habet. Quod verò posterius concernit, multum interesse puto, utrum alternativa obligatio concepta sit in favorem debitoris, an creditoris: quod & naturalis ratio nobis dicitur, & ex jure civili argumento Legati fideicommissi; alternativi constat. vid. *l. si quis. 15. de legat. 2. arg. l. 25. §. 17. ff. fam. hercisc. l. si ex toto. 8. §. 2. ff. de leg. 2. C. J. A. th. 8. n. 8. de opt. vel elect. leg. add. §. si generaliter. 22. §. optionis. 23. Inst. de legat. ibique Dd. & compensationis, l. si debeas. 22. ff. de compensat. item exemplum obligationis in diem favore creditoris adjectum. Carpz. *Jurispr. forens. part. 1. const. 8. d. 4. n. 6. Eckolt. Comment. ad pand. §. 2. n. 4. de compensat. §. c. addictionis in diem. l. 9. ff. de in diem addict. Legis commissoriae. l. 2. §. seq. de leg. commiss. §. c.* Servitia verò Vasallatica in favorem Domini, atque ita Creditoris constituta *supra deduximus §. arg. l. 3. 16. C. de fidejuss.* Quod multo magis verum est, si debitor alternativus in mora fuerit arg. eorum, quæ habet Dn. Struv. *S. I. C. Ex. 10. th. 70. in fin.**

XXVII.

NON SECUNDVM. Postquam in obligationibus facienda debitor quidem ad factum præcisè non tenetur, sed præstando interesse seu pecuniam liberatur. Sed ecce, (1.) electione gaudere & præstando pecuniam liberari non statim sunt eadem: debita enim facti non qualiquali præstatione pecuniæ liberatur, sed præstando id, quod interest, interesse autem non ex persona debitoris, sed creditoris æstimari, notissimi juris est. Neque (2.) Dominus æstimationem feudi petens factum aliquod, sed facti pretium petit.

XXVIII.

XXVIII.

NON TERTIVM. Durius esse solvete pecuniam, quam personale & militare officium præstare, in thesi falsum est; in hypothesi verò eâ in specie, quâ Vasallus fructibus feudi jam gavivus, iniq; allegatur; in eâ autem, quâ Vasallo compensatio utilitatis perceptæ opponi nequit, estque à quæstione nostrâ alienum, quippe qui in terminis disputamus. NON QVARTVM: Hoc enim *κρυνόμενον* est id, seu de quo disputatur, an Vasallus ad servitia indeterminata obligatus, exactâ ab ipso æstimatione servitiorum alieni, quàm quod in obligatione est, debiti nomine interpelletur. NON QVINTVM: Electio nimirum Vasallo eripi non potest, quippe quam ipsi in casu servitiorum indeterminatorum non competere, indeterminatis autem cedere necessitati debere, satis puto, jam sup: ostensum. NON DENIQVE SEXTVM. Neque enim æstimatio talis jure subjectionis, ut collectæ, sed jure nexus feudalis exigitur, atque ita à collectis formaliter diversa est, licet cum iisdem materialiter conveniat, ut taceam, secundum eos, quos *supra thesi 19. & 20.* laudavi authores. Vasallos etiam in casu necessitatis collectis propriè ita dictis subijci posse.

XXIX.

Concludo igitur, quando tempore locovè determinatum non est, quod ratione feudi vasallus Domino præstare debeat, meritò illud ad indigentiam Domini siue necessitatem referri, indeque determinationem recipere debere, *supra thesi 15;* ita tamen, ut moderatè illud à Domino exigatur pro loci consuetudine & feudi quantitate & qualitate, *Rosenth. c. 8. concl. 4. num. 3. Gail. 2. Observ. 62. in fin. Kohl. d. tr. part. 4. num. 102. & seqq.* Tales enim consuetudines in æstimatione ineundâ, & aliàs quoque servandæ sunt. *arg. l. 31. §. 20. ff. de ad. edit. l. 8. C. de agr. & censit. Coler. process. execut. p. 1. c. 9. n. 33. Bartol. in l. 26. §. 12. n. 32. ff. de cond. indeb.*

XXX.

Quo in casu, si de indigentia Domini & conditione feudi ambigatur, optimum erit, recurri ad arbitrium boni viri, i. e. periti judicis, qui perpensis atque consideratis Domini, Vasalli, feu-

C

li, feu-

VIII.



li, feudique, nec non emergentis negotii, cujus gratiâ servitia desiderantur, singulis circumstantiis & conditione haud difficulter in quâque facti specie occurrente determinaturus est, quatenus & in quantum servitia præstari debeant, ne Dominus viribus & auxilio debito, sibi que necessariò destituatur, neque vafallus ultra quàm par & æquum est, oneretur. *Andr. Kohl. d. tr.*

p. 4. num. 110. Et p. 6. num. 63. Et arg. l. 13. §. 1. ff. de annu. legat. l. 16. §. 1. ff. de oper. libert. l. 6. ff.

pro soc. Rosenth. d. c. 8. concl. 22. n. 4.

Et ibi. alleg.



COROLLARIA.

I.

*Possessores rerum immobili-
um nudæ promissioni non
committuntur, sed bona
specialiter oppignorare,
vel juratoriam cautionem
præstare tenentur.*

II.

*De criminibus sanguinis pæ-
nam*

nam in gerentibus & ante
& post institutam accusa-
tionem pacisci reo licet.

III.

Major 25. annis ex causâ
ignorantiæ justæ contra
præscriptionem ipso jure
completam restitui po-
test.

IV.

Non insertâ nominatim cau-
sâ ingrati tudinis querelæ
inofficiosi non est locus, sed
ipso jure testamentum est
nullum.

V.

Usufructuaria cautio non est

C 2

de

de substantia usufructus.

VI.

Usuræ omni jure sunt licitæ.

VII.

Solennitate, lege statutove præscriptâ, non observata à testatore, testamentum est nullum, adeò, ut nec in conscientia foro ad illud servandum ab intestato succedens obligetur.

VIII.

*Pupillariter substitutus excludit omnes heredes legitimos etiam matrem, cui
alias*

*aliàs de jure legitima de-
betur.*

IX.

*Captum in alieno prædio, li-
cet contra prohibitionem
domini, nihilominus fit
cipientis.*

X.

*Fidejussos, qui jam solvit,
petere potest, ut sibi ce-
dantur actiones, licet,
cum solveretur, pactum
de cedendis actionibus
non intervenerit.*

C 3

Nobi-



Nobilissimo
DN. CANDIDATO

χαίρειν.

DE studio juris voto, CLARISSIME
MAYER,
Tam benè confecto gratulor hisce
TIBI,
Et precor ut merito felix quoque cedat
honorì,
Sic geminus læto fine triumphus
erit.

*Johannes Albertus Sebizi^{us},
Med. D. PP. h. t. Universitatis
Rector, & Reipubl. Argentor.
Archiater.*

Nobi-

Nobilissimo atque Præcellenti
DN. JOH. HERMANNNO
MEYERO, J. U. Can-
didato &c.

Fautori & hospiti suo gratissimo &c.

G Ratum opus interpres *feudi* facit il-
le *Patrono,*
Servitia in *domini* qui putat
arbitrio.

At, quibus incumbunt præstanda alterna,
Vasallis,

Servitio, gratum non tamen ille facit.
Tu tamen & *feudi dominis* laudabere,
MEYER,

Atque tuum *curia par* celebrabit
opus.

Officij causa f.

F. Schragius. D. & Prof.
Inst. Impp. Ord.

Quis

Quid Rapidos, Natura, stupes Hyperionis Ignes?
Totque, per æthereas, astra citata, Do-
mos?

Ignea MEIERI mens, & conterminus astris
Spiritus, ætatem prævenit ipse suam.
Maturusque JLLI, Themis ipsa puerpera, fructus
Vere novo, quò vix visa virere, parit.
Quæ bona verba igitur, quæ fausta precemur? A-
mici.

Omnia prævertet fervor, Amice, Tuus!
Et nostrum præcox præcurret gloria votum;
Principio metas attigit illa suas.

*Ita Nobiliss. Domino Candidato consensuro Cathedram
Juridicam Inaugurali Disputatione*

accinunt

COMMENSALES.

FINIS.

Strasbourg, Diss., 1680-84
X 2284278

ULB Halle 3
006 682 243



VD 77





F. 7. num. 18.

A. F. P.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

CAVALCA
TÆ VASALLATI
CÆ ÆSTIMATIONE,

1680, 2.

1680

Vom

Anschlag der Lebens-
Ritter-Diensten.

QUAM

EX DECRETO ET AUCTORITATE
*Magnificæ ac Nobilissimæ Facul-
tatis Juridicæ in Illustri Argentoratensi
Academia*

PRO LICENTIA,

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia
DOCTORALIA legitimè consequendi,

Solenni Eruditorum disquisitioni subjicit

JOHANN - HERMANN MEIER,
Heidelbergâ - Palatinus.

Die 27. May. M. DC. LXXX. horis lociq. solitis.



ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

